

appellatur. Et ipse de se ait, vivo ego dicit Dominus. Quid ergo in Deo vivente, mortuum quid esse, audeamus dicere? Nequaquam. Nam, et hæc, quæ conspiciuntur, et quæ facta sunt, in ipso vita erant. Quod divinus testatur spiritus. Ergo divina illa essentia, vivens est, et vita fruitur, optima, et sufficientissima. Quod Aristoteles etiam est attestatus. Sed et vita hæc, per similitudinem in essentia, et ab essentia est producta. Quia in simplici essentia, simplex etiam vita, et vita simpliciter. Et præterea vita aliud nihil est, quam essentia ipsa parturiens actionem, sicuti postea videbimus. Quatenus ergo vita, est essentia quædam, similitudo est inter eas. Quatenus vero, in motum est progressa alteritatem induit, et dissimilitudinem est adeptæ. Per motionem autem hanc suam, cognitionem in se produxit. Dum enim movetur, motu hoc suo vel in se revolvitur, vel sursum unde, prodiit. Vel enim sursum, vel in se, vel deorsum motum hunc tendere est necesse. Deorsum vero non retendit quia sub se nihil adhuc erat. Vel ergo in suam essentiam, et superas sui causas, vel in se ipsam, motionem protendit. Hæc autem primaria est cognitio, ut postea declarabitur. Talem autem vel in se, vel in supera motionem, et cognitionem, sapientes veteres communi consensu. Mentem, et intellectum appellavere. Motio autem hæc, sicuti diximus est duplex. Vel in se, vel in supera; prior quia suæ essentiæ vicinior, primum procreat intellectum. Dum vero se intelligit, et in superas suas causas revolvitur, secundum procreat intellectum. Quem Zoroaster secundum appellavit. Hermes autem, spiritum. Quod nomen sacrosancta etiam Ecclesia est dignata.

Sub patre ergo Deo, et a patre, Paternum est profundum. In quo unitas primaria, et in ea omnes unitates, quas nomine alio ideas appellamus. Essentia, et ens primum, et essentiæ veræ, et entia vera omnia. Vita primaria, et vita omnes. Intellectus primarius, et intellectus omnes. Et ipsa unitas prima Idea boni, hisce omnibus constat. Imo est hæc omnia, intra se hyparxi simul unita, proprietatibus vero distincta. Simplicitate enim hyparxeos existentia, et subsistentia, et substantia, et essentia, omnibus per omnia est transitus, et permeatio. Proprietatibus vero distincta ita, ut nulla ibi sit confusio, nulla imperfectio. Inquit enim Zoroaster:

Πάντα γὰρ ἐξέτελεσε πατήρ.
Καὶ νῶ παρέδωκε δευτέρῳ.
“Cuncta enim perfecit pater,
et menti tradidit secundæ.”

Hanc secundam mentem duplici interpretamur significato. Priore, quia Mens prima, sit a patre secunda. Atque ita omnia in se, a patre perfecta suscepit. Altero quod ita perfecta, menti tradiderit secundæ, quæ et a prima, et a patre procedit, et cum ambobus est consubstantialis. Ut proximus esset conditor eorum, quæ extra profundum debebant produci. Prima autem quæ ab intellectu hoc sunt producta, per sui similitudinem itidem sunt producta, intellectus scilicet creati. Novem uti videbimus gradibus distributi. Et ii quos intellectus participatos vocitamus. Similes quidem intellectui conditori sunt, quia et ipsi sunt intellectus. Dissimiles vero sunt quia conditi. At sunt etiam hi participati, et ipsi conditores. Animarum scilicet. Nam ratio omnis ab intellectu est, et eius imago est dianoea, et ratiocinium. Si imago, etiam similis intellectui. Dissimilitudo vero, quia non idem cum intellectu sunt, et in alteritatem ceciderunt. Sed hæc clarius suis locis. Simile quiddam sibi anima, quæ iam in corpus decidit, et ei est coniuncta, in corpus profundit. Quam nos, nomine satis noto, sed significato satis ignoto, naturam appellamus. A qua in corpus itidem producitur qualitas, quæ naturæ veluti instrumentum servit, in corpore, et eius partibus, alterandis, et disponendis. Et dispositis formam inducit. Per quam corpus in aliam, aut aliam speciem conformetur. Sed et qualitas a natura fert similitudinem, et ei est dissimilis. Et formas easdem fert a qualitate. Et corpus a forma, iis nimirum modis, qui propriis horum graduum tractatibus explicabuntur.

His autem post unum primum, novem gradibus, rerum tota constat universitas. Qui quidem gradus ordine sunt dispositi a summo ad imum ita, ut nullum inter eos vacuum sit